

CUM, aliud PRACTICUM. PRACTICUM est, quod præscribit quid faciendum, quid fugiendum sit. THEORETICUM autem in eò consistit, quod terminos illos universaliores, qui in aliis disciplinis occurrunt & adhibentur, demonstrat, & quomodo intelligendi sint, ostendat, ita ut aliæ disciplinæ non possint aliter adhibere illos terminos. IMPERIUM PRACTICUM Politica habet in omnes disciplinas, quippe quæ præcipit omnibus scientiis Theoreticis, quando constituit quasnam & quousque in civitate dici oporteat, attamen illis non imperat & dominatur. Hinc Philosophus Prudentiam sive Politicam lib. 1. Moral. c. ult. comparat cum ATRIENSI. Is enim, præest omnibus & dispensat omnia, sed nondum idem imperat omnibus; verum Domino ocium parat, ne is præpeditus rerum domesticarum necessitate dissolvatur, quò minus honestè quippiam & officiosè agat. Sic similiter Prudentia seu Politica, tanquam ATRIENSIS sapientiæ s. Metaphysicæ ocium parat, ut suum peragat opus cohibendo & temperando affectus. Hinc Suarez disp. 1. Metaphys. sect. 5. n. 44. annotat in scientiis inter hæc duo distinguenda esse. (1.) INTER VERITATIS CONTEMPLATIONEM, & (2.) INTER USUM, quem in Rep. habere possunt. PRIOR RATIO scientiæ est essentialis; POSTERIOR VERO accidentalis. Quamvis enim honestus scientiarum usus homini, imò toti Reipublicæ sit maximè necessarius, de essentiâ tamen non est scientiæ. Jam si honestum disciplinarum usum spectes, verissimum, quod Politica sit maximè principalis & Architectonica, cui soli competit præscribere & ordinare, quem scientiæ quævis in Rep. usum habeant. Si verò veritatis contemplationem attendas, sola Metaphysica est principalissima, & reliquis omnibus præest, sc. in veri cognitione eas dirigendo. Nam à Metaphysicâ accipiunt quodammodo omnes disciplinæ principia & terminorum cognitionem, etiam ipsa Politica.

(2) Per Abstractionem non intelligitur *realis separatio unius ab alterò*, sicut frigus ab aquâ separatur per calorem, sed *mentis operatio*, quò intellectus unam rem considerat, non consideratâ alterâ, quæ tamen cum ipsâ est conjuncta. Abtractio autem hæc à Philosophis communiter statuitur triplex, sc. *Physica, Mathematica, Metaphysica*. Abtractio Physica est, quæ fit à materiâ sensibili singulari, sed non Universalis. v. gr. Physica agit de homine & partibus ejus. Item de lapidibus, plantis &c. Quæ omnia in suo conceptu materiam sensibilem includunt, interim tamen non agit de hoc, isto vel illò homine, non de hoc isto vel illò lapide, quia sunt singularia, de quibus abstrahit omnis scientia.

Per materiam sensibilem, prout materiæ intelligibili contradistinguitur, intelligitur substantia Physica habens qualitates sensibiles, ut æs, lignum. Jam Physica abstrahit à singularibus, sive à corporibus in individuò, quæ est abtractio, quâ Universalis à singularibus abstrahuntur, & est scientiarum propria, cum illæ sint de Universalibus. Ut ita abtractio, quæ Physicæ adsignatur, propriè non fit à materiâ sensibili, cum omnia illa, quæ scientiæ huic subjiciuntur, materiam formaliter includant, ita ut sine eâ nec esse, nec concipi possint; sed est à singularibus ad Universalis progressio, siquidem Physicus considerat elementum, hominem, non hoc elementum, hunc hominem, quæ sunt singularia. Sit Syl-

logismus: *Quicumque res sibi subjektas non considerat sine materiâ, nec ille ratione abstrahit à materiâ: Physicus res sibi subjektas non considerat sine materiâ*. E. Si dicas: à materiâ autem singulari abstrahit Physicus. Resp. non à materiâ, secundum quod materia, sed ut singularis est materia, adeoque à singularitate abstrahit, quod nihil aliud est dicere, quantum ad rem, ipsam, quàm Physicum abstrahere à corporibus in singulari, qui tamen eò ipsò non abstrahit à corporeitate, adeoque nec à materiâ, quippe sine quâ corpora nulla dantur, sed à singularitate.

*Abtractio Mathematica est*, quæ fit à materiâ sensibili ratione tantum. Ratione abtracta sunt, quæ citra hoc, quod mente abstrahuntur, abtracta à materiâ non sunt. Essentiam quidem & quidditatem eorum si spectes, citra mentis operationem, à materiâ abtracta sunt, quia nemine cogitante, intra essentiam & quidditatem suam materiam non habent: sin verò subjectum & existentiam; citra hoc quod mente separantur, separata à materiâ non existunt, sed in illâ ut subjecto insunt.

*Abtractio Metaphysica est*, quæ fit à materiâ sensibili RE & RATIONE. Abtracta autem RE & RATIONE simul sunt, quæ citra hoc, quod sine materiâ concipiuntur, etiam separata à materiâ existunt. Ubi notandum, quod illa quoque sint duplicia: Quædam per *essentiam immaterialia* sunt, ut DEUS & reliquæ substantiæ immateriales; quibus nempe repugnat habere materiam. Et hæc spectant ad Partem Specialem, quæ aliis appellatur *Pneumatica*. Quædam verò *materialibus & immaterialibus* sunt communia, ut Ens, substantia, Accidens, unum &c. Quæ, etsi prout in rebus materialibus considerantur, non nisi ratione à materiâ abtracta sunt; quia tamen ut extra materiam quoque subsistant, eorum permittit essentia; hinc *permisive & secundum indifferentiam*, abtracta dicuntur, quia indifferenter, tum iis, quæ habent, materiam, tum rebus materiatis attribuuntur. Jam objectum Metaphysices comprehendit utramque abtractioem.

(3) Genus in Definitione non est *Sapientia*, quia omne verum & propriè sic dictum Genus latius patet suò definitò. Sapientia non patet latius suò definitò, Metaphysicâ puta. E. Sapientia non est verum & propriè sic dictum Metaphysicæ Genus. Major patet ex definitione Generis. Minor autem probatur, quia Sapientia & Metaphysica sunt *Synonyma*, nec dari etiam potest alia disciplina, quæ fit propriè Sapientia secundum mentem Aristotelis, quàm Metaphysica. Sed verum Genus est *SCIENTIA*, pro habitu Demonstrativò sumpta, quippe cum scientia non tantum verè prædicetur de Metaphysicâ, sed etiam latior sit Metaphysicâ. *Differentia* petitur ab objecto, non quasi ipsum objectum sit differentia, cum enim differentia pertineat ad rei essentiam; objectum autem ad Metaphysicæ essentiam non pertinet, patet, quod objectum Metaphysicæ non sit ipsa differentia. Sciendum ergò, quod respectus, quem Metaphysica ad objectum suum habet, sit differentia Metaphysices: Quia autem respectus ille explicari nequit, nisi mentio fiat ipsius objecti, idè in definitione Metaphysicæ ponitur objectum, non quasi sit differentia, sed quia differentia sine illò objecto commodè explicari nequit.